



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1562 usque ad annum 1563

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 9011860X**

§. 85. Altera classis: Petrus Sotus peroraus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66641)

bant, cum tamen eorum potestas natu- Sæcul. XVI.  
 ræ vires superet, spectetque ad munus A. C. 1562.  
 gregem pascendi, quod Divo Petro com-  
 missum est: si vero aliquando popu-  
 lus suos Ministros seligebat, id dunta-  
 xat ex concessione Apostolica ideo fa-  
 ctum, ut populus de Ministrorum mori-  
 bus bonum redderet testimonium, proin-  
 duntaxat ad electiones vocabatur, te-  
 stemque de ordinandis agebat: Eccle-  
 sia autem Ordinem conferebat, confir-  
 mabatque electionem.

Abfoluto Salmeronis sermone reli-  
 qui duo Hispaniæ, ac Lusitaniæ Regum  
 Theologi verba faciebant, ac pluribus  
 sacræ Scripturæ testimoniis comproba-  
 tum ibant, Ordinem esse Sacramen-  
 tum, præcipue adducentes textum D.  
 Pauli ad Romanos cap. 13. v. 1. *Non  
 est potestas nisi a Deo, quæ autem sunt a  
 Deo, ordinatæ sunt.* Hanc quoque vé-  
 ritatem traditionis, Patrum, & Floren-  
 tinæ Synodi auctoritate firmabant.

§. LXXXV.

*Altera classis: Petrus Sotus  
 perorans.*

Integrum biduum Theologi primæ Pallav. cap.  
 classis in dicenda sententia sua insu- 12. n. 6.  
 mebant: postea vero die vigesima quin- 7. & 8.  
 ta Septembris secundæ classi locus dif-  
 ferendi dabatur, ibidemque primus per-

C c 4 orabat

Sæcul. XVI. orabat Petrus Sotus Ord. S. Dominici  
 A.C. 1562. inter Papæ Theologos princeps. Hic  
 circa quartum, ac quintum articulum  
 disputans probabat: esse in Ecclesia Hie-  
 rarchiam, nimirum potestatem, ac præ-  
 rogativam gubernandi, dicente Aposto-  
 lo: *obedite præpositis vestris*, Hebr. 13.  
 v. 17. Et alibi: *Attendite vobis*, & *uni-  
 verso gregi, in quo vos posuit regere Ec-  
 clesiam Dei*. Act. 20. v. 28. Postea age-  
 bat: „Hæc Hierarchia a S. Dionysio  
 „in libris ei adscriptis, quorum aucto-  
 „rem eum putabat verum, fuit expli-  
 „cata, cum hic Sanctus Doctor dice-  
 „ret: Hierarchiam esse sacrum quem-  
 „dam principatum ex imitatione cœ-  
 „lestis, quemadmodum enim hic in tres  
 „Angelorum gradus est partitus, ita  
 „quoque hæc dividitur in Episcopos,  
 „Presbyteros, & Ministros, sicuti expo-  
 „nit idem Dionysius, præsertim capite  
 „tertio, & quinto, ostendens, quo pacto  
 „inferiores etiam Ordines ad ejusmodi  
 „Sacramentum pertineant: insuper cum  
 „his consonant, quæ pronuntiabat A-  
 „postolus ad Ephes. 4. v. 12. scribens:  
 „*ad consummationem Sanctorum, ad opus  
 „ministerii, quosdam quidem dedit Aposto-  
 „los, &c.* Non igitur Christiani omnes  
 „sunt Sacerdotes, sicuti tamen conti-  
 „netur in articulo quarto, nec his ob-  
 „stant ea Sancti Petri verba, quibus ap-  
 „pellat

„pellat cunctos baptismo ablutos *gen-* Sæcul. XVI.  
 „*tem Sanctam, Regale Sacerdotium* 1. Petr. A C. 1562.  
 „c. 2. v. 9. ibi enim sermo est de Sacer-  
 „dotio *Mystico, ac Spirituali*, non de pro-  
 „prio, ac corporali, quale est illud Ec-  
 „clesiæ Sacerdotium, de quo impræsen-  
 „tiarum agitur.

Tum idem Theologus ad quintum articulum accedens, variis testimoniis SS. Ambrosii ac Cypriani, & Nicæni Concilii comprobatum ibat, Ordinem esse Sacramentum exterius, & visui subiectum: porro ad ostendendum tertium Hierarchiæ gradum, observabat ministeria inferiora, quæ tametsi a Christianis omnibus aliquo pacto exerceantur, non tamen ab omnibus exerceri ostendebat modo maxime legitimo, & congruente, cum ad ejusmodi opera, necessaria sit potestas quædam naturæ vires excedens in infimis etiam ministeriis; quæ potestas conceditur ab eo, qui obtinet Ecclesiæ Principatum: quocirca morem hodiernum, quod infima Ecclesiæ munia exerceantur ab hominibus mere laicis, hæud esse laudabilem, nec primævæ Ecclesiæ consentaneum statuebat: „Ea de causa, prosequabatur Sotus, „sanxerat Cajus Pontifex, ne ad Epif- „copi munus eveheretur, nisi qui cun- „ctos gradus ascendisset; atque ideo „præscripta fuere a Siricio Papa tem-  
 C c 5 „pora,

Sæcul. XVI.  
A.C. 1562.

„pora, per quæ in quolibet Ordine ali-  
„quamdiu ministrandum est. „ Porro  
impugnaturus id, quod pariter in eo-  
dem quinto articulo habebatur, nimi-  
rum sacerdotium in Ecclesia non nisi sim-  
plex prædicandi Evangelii munus esse.  
sic inquit: „ sacerdotium non ad  
„meros Sacerdotes, quin potius ad so-  
„los Episcopos præcipue pertineat, cum  
„Apostolus dicat: 1. Cor. 1. v. 17. De-  
„minus non me misit baptizare, sed prædi-  
„care. Insuper Christus hoc de se ipso  
„affirmavit illis verbis: Luc. 4. v. 43.  
„Oportet me aliis civitatibus evangeliza-  
„re: ad hoc enim missus sum: ideo a Con-  
„cilio Chalcedonensi fuit decretum, ut  
„Episcopi a domesticis negotiis abstine-  
„rent, quatenus prædicationi operam  
„darent: nec tamen, sicuti de sacer-  
„dotibus, postrema illius articuli pars  
„affirmabat, eum, qui reipsa non con-  
„fessionatur, quod huiusmodi dote ca-  
„reat, Episcopum non esse, cum huius-  
„ce rei exemplum extaret in Valerio  
„Episcopo Hipponensi. „

Ad quartum articulum regressus hic  
Theologus, confutabat posteriorem eius  
partem, quod Ordinis potestas confer-  
ri posset aut a populo, aut a laico Ma-  
gistratu, cum ea naturæ facultatem  
superet, adeoque illius conferendæ fa-  
cultas desit iis, qui ad id præstandum  
ab

ab Ecclesia constituti non sunt. „Exi-  
 „gebatur quidem, inquiebat Soto, ex  
 „primæva constitutione populi electio,  
 „idque colligitur ex epistola quarta S.  
 „Cypriani in primo libro, atque ex A-  
 „postolica Traditione, quæ etiam ele-  
 „ctio fuit vera, nec simplex testimo-  
 „nium, prout tamen indicaverat Salme-  
 „ron, idcirco clerus etiam populo sese  
 „adjungebat, ut electio ab universa  
 „Christianorum multitudine haberetur:  
 „in quam sententiam dixerunt Apostoli  
 „Act. 6. v. 3. *Eligite ex vobis septem vi-*  
 „ros: Summo tamen Pontifici licet eam  
 „electionem populi supplere, pro eo, ac  
 „opportunum existimaverit: etenim  
 „quamvis ea eligendi ratio esset Apo-  
 „stolorum traditio; traditiones tamen,  
 „quæ ad regimen spectant, possunt mu-  
 „tari: at vero eæ, quæ pertinent ad  
 „Sacramenta, mutationem non admit-  
 „tunt: idcirco pro temporum conditio-  
 „nibus potuerunt Romani Pontifices  
 „electiones variare, easque aut cleri-  
 „corum Collegiis, aut Principibus, aut  
 „aliis concedere.„

Sæcul. XVI.  
 A.C. 1562.

§. LXXXVI.

*Quidam Lusitaniæ Regis Theologus  
 ex tertia classe perorans.*

Inter Theologos ex tertia classe, cui  
 postremi duo articuli fuerant commif-

Diar. 29.  
 Sept. apud  
 Pallav. l. 12.  
 c. 12. n. 9.